Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

# Sanctilogium Angliae, Walliae, Scotiae, et Hiberniae, ergänzt durch weitere Heiligenlegenden und -viten - Cod. St. Georgen 12

Johannes <Tinmouthensis>

[s.l.], um 1425

Illustration: [Historieninitiale; Heilige Birgitta]

urn:nbn:de:bsz:31-68928

Visual Library

regionibus ad sinuandum sibi sex mensibus. Stephanus pergens Germaniam imperatori peregit et accepta licentia remeandi venit Romam cum exercitu suo ad beatum Petrum apostolum. Et invenerunt in Vaticano turbas docentem. Et mox pedibus in circuitu venerunt et ad pedes eius se prostraverunt. Unde inquit Petrus huc advenistis? Ex principes ait dux galliarum huc advenimus. Omnesque verbo fidei a beato Marciale illuminati. Apostolus ait: Quomodo estis illuminati? Dux ait: Evangelio summus dei edocti et in remissionem peccatorum baptizati. Quo audito beatus Petrus gratias agens benedixit deum dicens: Deus domine pater eius adiutor et consolator, quia per nomen tuum abiit in regionem longinquam et a te missus obedivit missioni tue et est in magna tribulacione. Pro nomine enim tuo ferro fuit constrictus et in carcerem missus insuper et flagris graviter cesus. Da ei domine gratiam ac benedictionem tuam que permaneat cum eo in sempiternum. Tunc inclinavit ducem quomodo conversatur apud vos ille carissimus vir. Multos inquit dux mortuos apud nos in nomine domini resuscitavit et quicquid a deo postulat celestis consequitur. Hec dicens Stephanus prostravit se in terra ante pedes Petri apostoli postulans indulgenciam et absolucionem pro beate Valerie interfectione. Tunc beatus Petrus intuens in eum et cernens fontem lacrimarum ac humilem vultum absolvit eum ab omni vinculo delictorum. Post absolucionem vero obtulit dux beato Petro auri libras quingentas quas a Nerone imperatore acceperat. Beatus vero Petrus precepit duci ut memoratum aurum beato Marciali deferret, quatinus ex inde ecclesias per Galliam construeret vel pauperibus erogaret. Cumque Stephanus ad patriam rediret, Hildebertus filius Arcadii comitis pictauensis a demone suffocatus in flumine mortuus est. Prece apostoli et lacrimis beatus Marcialis venit ad locum ubi adolescens submersus fuit dicens: Adiuro vos demones qui in hac fovea latitatis ad decipiendum genus humanum, ut corpus adolescentis ad ripam istius fluminis proiciatis. Et statim corpus proiectum est ad ripam fluminis quasi sex stadiis in siccum. Et iussit venire demones cum magno impetu ante pedes eius convenire. Erant quasi ethiopes nigriores fuligine, pedes eorum nigri, oculi terribiles, et crinitum totum tegebant corpus. Atque per os eorum et nares sulphureus emanabat ignis. Loquentes vero acerrimam mittebant vocem ululantes. Quibus sanctus ait: Dicite in conspectu omnium quibus nuncupemini vocabulis. Unus dixit: mille artifex vocor, quia mille artes habeo ad decipiendum genus humanum. Et alius dixit: Sceptrinus vocor, quia in hac fovea multos decepi homines et dedi in infernalibus penis. Et quesiti quare cathenas igneas in manibus gestarent, dixerunt: Quia quando aliquem hominem decipimus cum hiis cathenis ducimus ad magistrum nostrum. Et quomodo inquit apostolus vocatur magister vester? Fulderinus, Sycoaldus. Quia semper regni deseruit et cum ira et indignacione permanet. Tunc precepit eis vir dei ut loca deserta peterent usque ad diem iudicii nullam ledentes creaturam. Et continuo evanuerunt ab oculis omnium. Vir autem dei tenens manum pueri dixit: Hildeberte in nomine Ihesu Nazareni surge. Qui statim surrexit dicens: Cum fatigatus ardore solis ex calore corporis mei abluerer, continuo demones in foveam suffocantes me precipitaverunt. Et cum ad infernum me ducere temptarent, venit vox de celo dicens: Revertatur anima pueri huius in corpus eius. Et vixit annos XXVI. Hic Hildebertus a mortuis resuscitatus tonsurato capite suo penitens magnum se recessurum a servicio dei et semper cum omni obsequio famulaturum. Ab illa hora vinum non bibens et carnem non comedens, indumentis pessimis indutus, solum pane et aqua fuit contentus, oracionibus, ieiuniis, vigiliis et omnibus bonis operibus assidue deditus. Que a parentibus accipiebat pauperibus distribuens, nichil sibi in crastinum reservabat. Dux autem Stephanus rex non vocabatur, licet rex potentissimus Galliarum esset, quia nullus hoc nomen in occidente tunc vendicabat nisi solummodo Nero qui Romani imperii principatum tenebat. Dux autem Stephanus omnia prophana terre sue destruxit, quartam et sextam feriam vinum non bibens, et carnes non comedens. De omnibus sibi allatis decimam partem pauperibus erogavit. In iudicio nichil precium pro munere accipiebat, pauperes, peregrinos, viduas et orphanos inopes sustinebat, cunctos celestia cupiebat. Anno igitur quadragesimo post resurrectionem domini, apparuit ei dominus Ihesus Christus cum ineffabili splendore claritatis et dixit ei: Pax tibi sit frater fidelissime, qui obedisti voci mee, et is nunc invictus in claritate que nullo claudetur fine. Quindecimo die veniam ad te et recipiam te cum angelis et sanctis, et statuam te cum filiis tuis et faciam te cum illis regem mei heredem. Appropinquante die obitus sui, instructis et benedictis filiis et populo, continuo lux magna refulsit et vox audita est dicens: Egredere dilecta anima de corpore, que voci mee obedisti, parentes et patriam dereliquisti et me secutus fuisti, eris ingressura in claritate que nullo fine claudetur. Et cum ipso splendore migravit ad dominum pridie kalendas Iulii. Angelorum enim concentus nullum auditus est dicens: Beatus quem elegisti et assumpsisti domine, habitabit in atriis tuis in secula seculorum. Cumque ad ecclesiam corpus eius deferretur, celi aperti sunt quousque ad locum sepulture devenisset. Commendabant eum multi demoniaci clausi et varijs languoribus oppressi, super quos aspiciunt invicem discipulus, sudarium eius posuit et omnes facti sunt sani.

Eodem die in Italia civitate Cosa presbyteri et Leonis subdiaconi. Ex martilogio.

In territorio Limovicensi sancti Hostiani presbyteri et confessoris.

Explicit liber sextus. Liber sequitur septimus.

Temporibus Henrici Cesaris.  circa annum domini millesimum quinquagesimum, Gallia fertilium honoris et honestatis dedit Theobaldum religionis monumentum, cuius reparaculum castro Pruuino ortum. Hic magnarum dux facultatum, occulto et laudabili fugas seculum sanctis nequam subripuit et heremiticam vitam experiens per Christo peregrinus vixit. Manus eius in fabricis sanguinem multis vigiliis et miraculis claruit. Quadam die cum duobus sociis iter agens cum fatigatus et afflictus fame et siti pene deficeret, in via a deo panem sibi preparatum invenit, unde in Christo confortatus gratias deo egit. Cumque mediolanenses audita eius fama ad locum eius sicut ex diversis partibus confluebant accessissent, primo eos verbo dei spiritualiter reficere, deinde illis refectionem corporalem sumentibus diacono nomine Dionisio precepit potum ministrare. At ille mandato eius non parebat, quia unde ministraret hospitibus vinum non habebat. Ipse enim nocte precedente vasculum ubi vinum fuerat totum cum biberet exhauserat, et unde aliis ministraret non dimiserat. Qui his et ter admonitus propter imperitam sancti patris precepto eius obediens ad vas accessit et quod vacuum ex toto reliquerat plenum invenit. Sicque peregrinis reffectis fides de reliquio per tres ebdomadas exegerunt. Vir autem iste bonis operibus plenus in pace quievit. Mulier quedam in brachio suo non quidem pro reatu aliquo sed sponte circulum gestans ferreum pervenit ad sepulcrum eius. Et ecce circulus ferreus statim confractus est magno et mirabili crepitans longius a brachio dissiliit.

Eodem die civitate Engolisma sancti Eparchii monachi et confessoris. Ex martilogio.

In monte Or depositio Aaron sacerdotis, qui frater Moysi in signis et portentis in terra Egipti coram —